



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Martianus Conf. 10. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Ian.
olo,
amo
rrò
iām
nen
M.
An-
ici-
rio.
elli-
in-
su-
on.
an.

li-
sis
ui
ris
s,
n-
r-
n-
o-
c-
t-
o-
i-

10. Ian. VITÆ SANCTORUM. 31
tyr; qui dum ad ludibrium totâ urbe vin-
ctus circumducitur, C E L S U S , mali Ju-
dicis non malus filiolus, conspicatur eum
non tam inter lictorum , quam Cælitum
manus inambulare. Pedes proinde mar-
tyris complexus , & Christum puer non
pueriliter , & ipse fassus , cum J U L I A-
N O ad ignem damnatur. Sed virtus pro-
ba è flammis splendidior nimisum exit ,
crescitque , matre etiam Celsi ad Chri-
stum adductâ . Caput demum omnibus
sub annum Christi ccc. x i. aufertur. Sed
neque sic locus coronæ defuit. Ex Sur.

*Qui igne Christi captus fuerit, talis fit,
qualis esset homo solus super terram habi-
tans, adeò nihil curæ est ei gloria & igno-
minia. S. Chrys. hom. 52. in Acta.*

S. MARTIANUS CONF. 10. Ianuarij.

NOvit M A R T I A N U S maximæ Ædi
Byzantii præpositus orationem, quò
cælos & certius , & citius peteret , ala-
tam reddere , creberrima illi jejunia &
eleemosynas iungendo. Multus præte-
reà in extruendis cœnobiis templisque
fuit ; monumentis , quæ ferè unica in
mortali homine immortalia D E U S pro-
bat. Plenam , quoties foras prodivit ,
manum circumtulit , cum vacuâ nullum
à se inopem passus abire. Veste , quām
diu vixit , non nisi unicâ semper usus ,
hac etiam , cùm nulli ad manum numimi
essent ,

32 VITÆ SANCTORUM. 10. Ian.
essent, se exuit, & egenum induit, sed
divite lucro: quippe qui deinde cùm se-
minudus pro arâ divinum cibum in po-
pulum partiretur, aureâ palam à cælo
veste ornari visus est, ut plane jam qua-
stum quæsiisse, & pro paupere togâ me-
liorem ambiisse videri possit. Noctu
porrò vigil pius urbem obambulabat,
vel quibus tunc etiam benefaceret, ege-
nos, vel quos lotos domi curatosque
terræ mandaret, mortuos quærrens; ex
quibus non pauci revixisse inter studia
tam sancta memorantur, & alterum
vitæ parentem MARTIANUM salutasse.
Jam grassantem in templum suum cru-
deliter flammam medius ipse objecto
Evangelicæ historiæ volumine stitit,
precibus domuit, lacrimis extinxit. Se-
cundum hæc aliaque mira, templo,
quod ultimum ædificabat, & vita
finem unâ imposuit. *Ex Metaphraſte apud
Suriam.*

Manducat Deus in cælo panem, quem
perceperit pauper in terra. Da ergo panem,
da potum, da vestimentum, da teclum,
ſi Deum debitorem non vis habere, nihil
nobis nocebit in terra, ſi nobis in cælo mi-
ſericordia fit patrona. S. Pet. Chrys.
ſ. 42.

S. THEO-